In comitijs Bacchalaureoru Mar: 1.° 1608.°

Arte magicâ non coguntur Dæmones.

Democriti Manes, et mollis turba *Chiorum*,
Quicquid et insanis risit imaginibus,
Ad noua nunc adsint spectacula, qualia *Brutos*
Vel rigidos poterint soluere *Fabritios*.
Ecce nefas stygium, probrum Diuûmq; hominumq;
Ad sua se accingit ludicra sacra Magus.
Vt primùm stygia iactatur ramus ab vnda,
Spiritus en præceps auxiliaris adest.
Exorcista ausus tumidos, horrendaq; iussa
Imperat, aut noctem Sole nitente dari,
Vel tonitrum ignaro *Ioue*, vel sine nube procellas,
Vel rursùm in fontes, flumina curua trahi.
Si nolit Dæmon, Magus omnem suscitat artem,
Vrget et humano sanguine pacta rata.
Monstra Charactêrum scribit, variasq; figuras,
Additq; horrendis nomina sancta sacris.
Si quid adhùc renuit, lapides herbasq; potentes
Admouet, et spargit flumina sacra manu.
Postremò caneus, infandaq; carmina tentat,
Horrida verba refert, sed sine mente sonum:
Hìc visus tremere astutus, sacrisq; moueri
Dæmon, nèc tantis pergere posse minis.
Imperium exequitur lætus, pronusq; per auras,
Per terram, et vastæ marmora fertur aquæ.
Quàm Magus exultat, quas grates ille figuris
Dat, velut his, victis Dite Ereboq; modis.
Ridet, et haud nostro fallacia prompta cerebro
Maior ait Dæmon, nèc mihi chara magis.
Hâc mercede Magos iuuat exaudisse vocantes,
Vt specie hâc lusos, ad mea regna traham.
Si qua Magis vis est, si quid penetrale nefandum
Possit, et abstrusis carmina facta modis:
Hoc possunt, coguntq;, quod ipsi cogimur illos
Ob miseras artes, plectere suppliciis.

Ergo,

Vanæ artes Magicæ, nèc quicquam Dæmona cogunt,
Sed tantùm stultis ritibus alliciunt.

Liber Naturæ non est contrarius Scripturæ.

Stulte, quìd vnanimes disiungis amore sorores?
Quidùe interè geminas iurgia sæua moues?
Quid Physicen damnas, opus immortale Sophorum,
Scripturæ tanquam dissona scripta sacræ?
Nulla hìc coniunctas agitat discordia mentes,
Æterno illarum est fœdere iunctus amor.
Diuersis tantùm resonant conceptibus vnum,
Res eadem est variis exagitata modis.
Naturæ fixis Ratio concluſa tabellis,
Naturæ, et mundi fixa statuta tenet.
Vult nihil ex nihilo fieri, putat omnia primis
Principijs, mediis, fine carere suis.
Sin Iouis imperium contendis, et ætheris alti
Numina respicias, vimq; manumq; Dei,
Hic ratio nascentis habet primordia mundi,
Cunctaq; de nihilo corpora facta videt.
Hìc Chaos horrendum videt, et noua lumina cæli,
Primaq; terrarum semina, prima maris.
Virginis expertis thalami tedæq; jugalis,
Agnoscit fœtum, progeniemq; sacram.
Nec dubitat, quæcunq; fides miracula iactat,
Naturæ regnum, sub grauiore putans.
Agnoscit dominum maiorem, et sceptra Tonantis,
Scripturæq; pias præbet amica manus.

Ergo,

Consentit fidei ratio, nèc discrepat vnquam
Naturæ liber, et pagina sacra Dei.